



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Quodna[m] sit diuisum illius partitionis quæve definitio illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

si aliquando illa eadem res est principium actuum talis actus, non est sub ea ratione, sed quatenus illa res virtute aut eminenter continet tale actum, vt in dicto loco latius tractatum & explicatum est.

S E C T I O III.

Quidnam sit diuisum illius partitionis, quæ de definitione illius.



Metaphysica. Et etiam quæstio facili ex dictis definitur. Possumus enim potentiam in communi, quæ diuisum est illius partitionis, ita definire.

Definitur potentia in communi.

Potentia est principium proximum alicuius operationis, ad quam natura sua institutum & ordinatum est. In qua descriptione subintelligatur genus qualitatatis, in quo potentia conuenit cum aliis speciebus huius prædicamenti, & distinguitur à rebus aliorum prædicamentorum. Per illam vero particulam principium proximum, &c. declaratur in primis ratio, ob quam huiusmodi potentia est qualitas, & peculiariter distinguitur à forma substantiali, quæ licet sit principium operationis, non tamen proximum, sed principale, vt in dicta disputatione 18. ostensum est. Vbi etiam tractauimus, qua ratione principia proxima actionum in creaturis res distinctæ sint à substantiis vel substantialibus formis, ex quo plane sequitur, quod sint qualitates: nam in nullo alio accidentium genere collocari possunt: vt per se notum est. Nomine autem operationis, in ea definitione intelligi potest tam actio quam receptio, vt definitio communis sit potentie actiue & passiue. Quæquam si verum est nullâ esse puram potentiam passiuam ad hanc speciem qualitatis pertinentem, recte possumus intelligere nomine operationis; id quod nomen ipsum proprie significat, scilicet, actionem vel actum proprie manentem ab ipsa potentia seu facultate, qui duplex est, vnus egrediens à potentia, & transiens in aliud subiectum, alius manens in ipsamet potetia, quæ est principium proximum eius, & ita distinguitur duplex potentia, vna pure actiua, alia vera etiam receptiua seu passiua, vt satis declaratum est. Nô oportet autem addere, quod operatio accidentalis sit, vt aliqui significant: quia, licet frequentius huiusmodi sit talis operatio, tamen etiam si substantialis sit, vt est substantie generatio, nihilominus potetia quæ est principium proximum eius, & non principale, erit accidentalis qualitas iuxta superius dicta in disputat. 18.

Subintelligendum vero est in illa definitione huiusmodi principium proximum debere esse principium operationis quoad substantiam eius, vt per hoc distinguatur potetia ab habitu, qui est etiam principium proximum operationis, non tamen est per se requisitum ab substantiam, sed ad modum operationis, in quo à potentia differt. Vel fortasse melius & vniuersalius, intelligendû est de principio proximo, quod ex parte operationis sit primum, & quali radicale in illo ordine. hoc enim solet simpliciter, & quasi per antonomasiam vocari principium proximum. Quamquam enim principium proximum comparatione principalis non sit proximum, nec radicale, sed secundum & radicatum in primo, tamen quando in ordine principii proximi plura concurrunt subordinata inter se, vnum eorum est in eo ordine primum & radicale, & illud proprie habet rationem potentie, cetera vero sunt habitus vel dispositiones talis potentie. Et hoc modo non solum habitus acquisiti sed etiam infusi, & species intentionales, & quidquid huiusmodi est, à ratione potentie excluduntur. Dixi autem, si talia principia proxime sint subordinata in-

Tom II. Metaphys.

ter se: nam si sint tantum partialia, & ex æquo concurrentia, ita vt vnum non sit affectio, vel dispositio alterius, tunc vtrumque habebit rationem potentie quamuis incompletæ & partialis, & ex vtroque coalescet vnum principium proximum ad æquatum & primum in illo ordine.

Additum est vltimo in prædicta definitione, hoc principium, quod habet propriam & specialem rationem potentie, debere esse per se primo institutum & ordinatum natura sua ad operationem, vt per eam particulam excludantur qualitates illæ, quæ licet sint principia proxima suarum actionum, non tamen sunt per se primo ad illud munus institutæ, sed solum ad disponendum & perficiendum formaliter subiectis, ex quo consequenter vel concomitanter habent, vt possint agere sibi simile: hæc namque qualitates essentialiter constituuntur in tertia specie passibilium qualitatum, & non habent propriam potentie specificationem: & ideo non comprehenduntur à nobis in definitione potentie, quæ est peculiaris species qualitatis, de qua nunc disputamus.

Vnde dignoscenda qualitas primo ordinata ad operationem.

Sed inquires quo signo cognosci possit, an qualitas actiua per se primo sit instituta necne ad illud munus, seu ad actum suum, vt ita etiam discerni possit an sit in propria specie potentie, vel passibilis qualitatis. Respondeo, vix posse generalem regulam assignari, sed ex formali effectu, & modo, ac necessitate talium qualitatum pensandum id esse. Quando enim qualitas talis est, vt seclusa actione vel actu eius per se sit propter suam formalem perfectionem necessariam substantie, tunc signum manifestum est, talem qualitatem non esse per se primo institutam propter actionem, sed ob suam formalem perfectionem, & huiusmodi sunt calor, frigus, & similes. At vero quando qualitas talis est, vt seclusa necessitate actionis vel actus, non solum non necessaria, verum etiam superflua conseretur in natura, tunc signum manifestum est talem qualitatem per se primo esse institutam propter operationem: vt, v.g. intellectus agens superfluous esset in natura, si actio intelligibilium specierum non esset necessaria, vel si posset in aliud conaturale principium conuenienter reduci: hoc ergo est sufficiens signum, talem qualitatem per se primo esse institutam propter illam actionem. Deinde in hoc ordine collocantur omnes potentie passiuæ, quæ in seipsas actiue sunt suarum operationum, vt sunt intellectus & voluntas, & similes potentie sensitivæ: nam omnes hæc potentie tales sunt, vt sine suis actibus imperfectum habeant statum, & prorsus superuacaneæ conserentur, nisi & tales actus essent possibiles, & propter illos ipsæ essent necessariae, quod satis constat ex communi conceptu & ratione talium potentialium.

Ex qualitatibus autem pure actiuis, quando proxime efficiunt alias sibi similes per actionem vniuersalem, sufficiens signum est, tales qualitates non esse per se primo institutas ad agendum: quia nullum indiuiduum vnius speciei est per se primo ordinatum ad aliud, præsertim in rebus aut qualitatibus absolutis, nec potest essentialis ratio talis speciei in illa habitudine consistere, cum tamen essentialis ratio potentie, quæ per se primo instituta est ad actum in illa habitudine posita sit, vt infra dicemus. Sicigitur calor, qui proxime actiuis est alterius caloris, non est per se primo ad illam actionem natura sua institutus, sed id quasi concomitanter habet ratione talis perfectionis, quam in suo esse formali continet, & idem est de similibus. Vt ergo potentia sit per se instituta ad actum, oportet vt actio eius sit aliquo modo æquiuoca seu diuersæ rationis quoad terminum suum;

Mm 2.

quan-

quamquam non liceat inde inferre per simplicem conclusionem, oppositam seu contrariam regulam, scilicet: quoniam virtus habet actionem diuersę rationis esse per se instituta ad illam, quia hæc propositio vniuersalis vera non est. Non enim omnis virtus æquiuoca est per se primo ordinata ad suas actiones: nam diuina virtus est maxime æquiuoca respectu suorum effectuum, vel actionum externarum, & non est per se ordinata ad illas: & idem forte est de luce solis, respectu effectuum eius, & considerando intrinsecam naturam & essentiam eius (nunc enim non agimus de extrinseca intentione agentis) & eiusdem rationis fortasse sunt alia forma vel qualitates, quæ per se sunt ad ornandum vel perficiendum formaliter suum connaturale subiectum, consequenter vero sunt communicatiua sui esse, siue vniuoce, siue æquiuoce tantum. Qualitates vero quæ non agunt ad communicandum suum esse, sed solum sunt vel instrumentarię virtutes, vt illa quæ est in semine, vel solum deferuiunt ad vsum aliquem vel motionem, hæc videntur per se primo instituta ad actionem, etiam si aliis pure actiua sint.

SECTIO IV.

Utrum omnis potentia sit naturalis, & naturaliter indita.

I.

Ratio dubitandi esse potest, quia Aristoteles in c. de Qualit. assignando secundam speciem, naturalem potentiam, vocat. Quod autem naturale est, naturaliter inest. In contrarium vero est,

quia præter potentiam naturalem multi ponunt neutram in ordine naturæ, qualis censetur esse in cælo ad motum. Alii addunt potentiam obedientialem, vel in ordine naturæ ad artificialia, vel in ordine gratiæ ad supernaturalia. Aliqua etiam potest esse potentia acquisita, vel extrinsecus addita, & non à natura indita, vt impetus lapidi impressus. Non ergo omnis potentia naturalis est.

Exponitur sensus questionis.

II.

Suppono questionem esse de potentia vera acceperat, quæ generatim dici potest physica, siue actiua, siue passiva sit, nam potentia logica cum in re nihil entitatis ponat, nec naturalis est, nec violenta, sed est non repugnantia quædam: unde ab aliquibus vocatur potentia obedientialis: quia de se est indifferens: ab aliis autem vocatur potentia obiectiua: nihil vero refert quo nomine vocetur, dummodo constet illam non esse potentiam realem. Addere vero possumus, hanc non repugnantiam eo modo quo potentia dicitur, interdum posse vocari naturalem, vel quia est consentanea naturis & essentiis rerum, vel quia in eis fundatur. Alia enim est non repugnantia, quæ est per solam non implicationem contradictionis, cui magis potest accommodari nomen potentie obedientialis in hac significatione, quæ negatiua potius est, quam positiua. hæc enim potentia non tam obedit, quam non resistit, cum tamē obedire in præsentia locutione, seu translatione esse videatur, aliquo modo exequi præceptum alterius, vel cooperari illi.

III.

Rursus potentia realis & physica, siue actiua, siue passiva accipi potest, vel transcendentaliter, vel prædicamentaliter, vt supra declarauimus, & de vtraque potest præsens questio versari, & quamuis de prædicamentalibus præcipue agamus, de vtraque tamen obiter dicemus. Potest autem potentia dici naturalis variis respectibus, vel rationibus: primo quia in se est naturalis ordinis, & sic distinguitur contra supernaturalem. Vel quia est indita & congenita cum natura, & sic distinguitur contra acquisitam, vel extrinsecus inditam. Vel dici potest potentia naturalis cõ-

paratione ad actum, vt si actiua sit, quia talem actum virtute naturali exercere potest, siue aliquo extrinseco & præternaturali concursu: si vero sit passiva, dicitur naturalis, si vel talem actum natura sua possidet, vel certe si per naturales causas possit illi recipere: naturalis autem causa non sumitur hic vt distinguitur contra liberam, sed vt distinguitur à supernaturali, quæ præter ordinem causarum vniuersi naturis rerum consentaneum operatur.

Questionis resolutio.

Dico primo: Si potentia actiua transcendenter & generatim sumatur, non omnis potentia actiua, est naturalis secundum omnem respectum, quamuis nulla sit, quæ respectum aliquem naturalitatis non habeat: dantur vero etiam in hoc ordine potentia supernaturalis, & obedientialis. Declaro primo inductione, nam imprimis diuina potentia comparatione ad ipsum suppositum cuius est potentia, connaturalis illi est, vt per se constat, tamen comparatione effectuum, vel subiectorum, quæ immutare potest, non solum naturalis est, sed etiam supernaturalis, vel neutrum est præcise, sed eminenti modo vtrumque. Potest enim, quantum ad actiones transeuntes, agere modo naturali & physico educendo formam de potentia naturali materia, & potest etiam agere modo ultra naturalis, per creationem scilicet. Quamquam ex vi huius modi agendi per creationem potentia illa non semper potest supernaturalis denominari: nã licet semper superet naturalem modum agendi reliquorum agentium, qui est agere ex præsupposito subiecto, non tamen semper agit aliter quam natura rerum possidet, & ideo quatenus operatur cõsentaneè ad naturas rerum, naturalis dici potest. Vterius vero potest diuina potentia, siue per creationem siue per educationem, operari ultra id quod naturale est rebus, vel quoad modum faciendi, vel etiam quoad formam seu esse factum: atque hoc respectu illa potentia supernaturalis appellatur. Sic igitur diuina potentia, propter amplitudinem & illimitationem suam in ordine ad suas actiones, nec præcise naturalis est, nec supernaturalis, sed eminentem quandam rationem potentie habet, in qua vtrumque completur.

At vero potentia actiua creata interdum est naturalis, id est, à natura indita subiecto, interdum vero in nimirum superaddita, & hec rursus, quamuis non sit congenita, sed acquisita, proportionata est naturalibus viribus & capacitati subiecti, vt habitus acquisiti, scilicet artes, &c. nam hæc omnia comprehenduntur sub potentia actiua in hac amplitudine, vt ex Aristotele constat: & sustinendo in ratione naturali non potest cognosci alius modus potentie actiue in creaturis: & ideo Arist. alterius non meminit. At vero iuxta principia Theologiæ dantur alie virtutes actiue, quæ non solum non sunt congenite cum natura, neque ab illa naturaliter manant, sed etiam excedunt capacitatem & vires naturales eius. Et hæc quidem non possunt dici potentie naturales respectu subiecti, sed simpliciter supernaturales, tamen respectu propriorum actuum sunt principia connaturalia eorum: & ideo secundum eam rationem habent aliquem respectum naturalis potentie. Quomodo autem Theologi intellectum lumine gloriæ illustratum, connaturaliter videre Deum. Imo potissima ratio ponendi eas virtutes est, vt operans habeat intrinseca principia connaturalia talibus actibus.

Præter hæc vero est in creatura potentia, vt cooperetur Deo tanquam instrumentum eius, ad effectus vel actiones superantes totum naturæ ordinem, vt superior sententia Theologorum docet, illa ergo potentia non potest non esse realis, cum per illam influat res in effectum realem, nec potest non esse actiua, cui fit principium agendi saltem instrumentaliter comparata